

TOMUS XXXIV.
MISCELLANEOUM.

~~G.V.f.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 bände:

T

DE ECCLE-
SIA CAPITA

QVAEDAM,
IVSSV DECANI FACVL-
tatis Theologicæ in inclyta Ba-
siliensi Academia,

AB
AMANDO POLANO A' PO-
lansdorf, S. Theologia D. ad dispu-
tandum proposita:

De quibus in publica συζητήσει, Chri-
sto adspirante, die 5. Octobris
respondebit

ELIAS MVRBACHIVS
Scaphusianus F.



BASILEAE, typis Ostenianis.
Anno MD. LXXII.



DE ECCLIA

SIA CAPITA

ON ABBA

IVSVA REGNANTIA CVL

AS

AMANDI TOLLAND A TO

OCIPUS IMPERIALI CONSTIT

NO ADIURANTIE OCTOBRE

RESPONDE

STIAS AFRACHIVS



BASTIAE QVAE QVAE GLENKENS

ANO CLXXXII






ILLVSTRIBVS
ET GENEROSIS
D. D. IOHANNI CASIMIRO, D. OT-
TONI ET D. GEORGIO FRIDERICO,
Comitibus Vvildæ, Rheni, Salmæq;,
Dominis Vinstingæ, &c.

Salutem à Christo DOMINO precatur

AMANDVS POLANVS à POLANS DORF,
S. Theologiæ D.

DE Ecclesia multæ sunt disceptationes,
maximæq; controversiæ, in-primis à Ro-
manensibus motæ, qui penè omnes de reli-
gione quæstiones ad hunc locum communẽ sibi fami-
liarem retulerunt. Nam acutis aliarum disputatio-
num telis petiti & iactati in isto Ecclesiæ receptu li-
benter conquiescunt: hîc habitant, hîc salutis & vi-
ctoriæ spes omnes deponunt, hîc se abdunt quoties è
pugna superati effugiunt. Itaq; hanc arcem, in quam
vel victi vel de victoria desperantes perfugium ha-
bent, omnes quanta possunt arte communiunt, & præ-
sidijs undiq; conquisitis firmant. Quo magis nos quoq;
qui à Pseudocatholica ipsorum Synagoga nos per Dei
gratiam seiunximus; eniti decet, ut naturam Ecclesiæ

A 2 recte


recte cognoscamus, quò á Romanopapistarum fraudi-
bus & tendiculis immunes, & veræ Christi Ecclesiæ
aggregati, in ea permaneamus, & sempiternæ salutis
compotes fiamus. Proinde visum fuit capita quedam
de hoc argumento ad disputandum proponere: & ea
Vobis Illustres & Generosi D. Comites inscribere:
tum quia CHRISTO duce publicas disputationes
non solum honorifica vestra præsentia condecorare,
sed etiam ingeniosis obiectionibus illustrare soletis:
tum quia singulari benignissimi Patris cælestis cle-
mentia propter Christum DOMINUM & Illustris
Heroicusq; vester parës & vos ipsi ab Antichristi spe-
lûca seiuncti estis, & ut eã totis viribus fugiatis, á Cla-
rissimo Viro D. PETRO FRIDERO I. V. D.
& Ephoro vestro dignissimo, procul dubio sæpe mul-
tumq; monemini. IEHOVA ille præpotens vos be-
nignè servet, & omnibus salutaribus donis augeat &
amplificet. Per scriptum Basileæ, 25. Se-
ptembr. Anno epochæ Christianæ

1592.

DE EC.

III

D E E C C L E S I A
C A P I T A Q V A E D A M.

I. Nominis definitio, Etymologia & origo.

Ecclesia græcum nomen est, & cœtum evocatorum significat.

Dicitur à verbo ἐκκαλεῖν, quod significat evocare.

Nomen *Ecclesie* apud Græcos passim in usu fuit: apud quos Cœtus civium, voce præconis é reliqua turba quasi nominatim & per centurias evocatus ad concionem, vel ad audiendam senatus sententiam; dicebatur ἐκκλησία, Act. 19. 39.

Hinc Apostoli vocabulum transtulerunt ad suum institutum, propter similitudinem.

II. Generalis definitio Ecclesiæ.

Ecclesia igitur (quemadmodum Apostoli hac voce utuntur,) est Cœtus credentium hominum, voce Verbi Dei é reliquo genere humano collectus.

III. Causæ Efficientes per se.

Causa Efficiens principalis; tum procreans seu colligens, tum conservans Ecclesiam, est D E V S Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Causæ προηγμένα, sunt:

1. Gratuita misericordia. Rom. 9. 10. *Cuius vult miseretur, quem autem vult indurat.*

2. Inenarrabile desiderium salutis hominū. 1. Tim. 2. 4. *Deus vult omnes homines servari, & ad agnitionem veritatis venire.*

Causa προκαταρακτική est: Meritum & Intercessio Christi. Ioh. 17.

Administra causæ extraordinariæ, sunt Prophetæ & Apostoli, & alij laici, quos vocant, Martyres præsertim.

A 3 tim.

tim, quorū opera Deus extraordinariē uti dignatur.

Causæ προηγμένα, quæ impellunt eas, sunt:

1. Desiderium salutis aliorum hominum. Rom. I. II. 15. & IO. I. & 9. 3.

2. Conscientia debiti seu obligationis: quia sciunt monitore Spiritu Sancto, se obligatos esse, & debere aliorum salutem procurare & provehere. Rom. I. 14. *Et Grecis & barbaris, tum sapientibus, tum insipientibus debitor sum.*

Causæ προκαταρκτικά, sunt:

1. Mandatum Dei. I. Cor. 9. 16. 17.

2. Peculiaris impulsus Spiritus Sancti Act. 8. 29.

Causæ administræ ordinariæ, sunt sacerdotes Veteris Testamēti, & Episcopi Diaconiq; Novi Testamēti.

Episcopos intellige, non purpuratos & Infulatos Antichristi servos: sed pastores & Doctores Ecclesiæ, docentes Evangelium Christi, & ritè administrantes Sacramenta.

Instrumenta sunt: tum Verbum Dei purè & sincerè prædicatum receptumq; tum Sacramenta legitimè administrata & usurpata.

IV. *Causæ per Accidens sunt:*

1. Sævitia hostium Ecclesiæ. Nam multi, in quibus aliquid saltem humanitatis fuit, crudelitate hostium moti, Ecclesiæ Christi se adiunxerunt, provocati insuper constantiâ & honesta conversatione Martyrum, ipsis perspecta: adeò ut sanguis Martyrum fuerit semen Ecclesiæ. Ita nullum est malum, quod Ecclesiæ contingit, ex quo nō sciat Deus elicere aliquod bonū.

2. Librorum à ministris Ecclesiæ reformatæ editorum lectio, suscepta refutādi causa. Petrus Paulus Vergerius Episcopus Iustinopolitanus legens scripta nostrorum, ut reformatæ Ecclesiæ doctrinam refutaret, & se liberaret hæresews suspicione, quâ apud Papam & quos-

& quosdam Cardinales laborabat, veritatem agnovit.
& veræ Ecclesiæ se adjunxit.

V. *Ecclesiæ fines alij sunt respectu Dei, alij
respectu sacre Scripturæ, alij respectu
hominum.*

Ecclesiæ finis respectu Dei, est gloria Dei.

Respectu Sacre Scripturæ, sunt præcipui quatuor:

I. Ut sit custos & testis Sacrarum literarum. Ideo
appellatur Ecclesia. 1. Tim. 3. *Columna & stabilimen-
tum veritatis*, id est, ministra Dei, quæ custodire debet
Sacram Scripturam tanquam depositum & thesau-
rum suæ fidei commissum. Debet esse Ecclesia quasi
domiciliū ac sedes stabilis, quæ Veritatem cœlestem
apud se depositam & sibi concreditam gestet in con-
spectu totius humani generis. Sicut Paulus dicitur *or-
ganum seu vas electum*, Act. 9. *ut gestet nomen Dei co-
ram gentibus & regibus*. Sic Apostoli nominantur *co-
lumne* Gal. 2. non quod ipsorum personis Ecclesia ni-
teretur: sed quod Evangelij doctores præcipui & qua-
si duces doctrinæ essent. Ideo Ecclesia est instar tabel-
lionis, tabulas Dei gestantis: nam Sacra Scriptura est
epistola Dei ad homines.

2. Ut sit Vindex scripturarū, hoc est, ut dijudicet ac
discernat veras, germanas, ac genuinas scripturas à
falsis, supposititijs ac adulterinis. Germanas appro-
bet, recipiat, suis omnibus commendet: adulterinas
segreget, repudiet. Ad hoc munus obeundum habet
Spiritus Christi, quo verum à falso possit distingue-
re, & Spiritus dijudicare. In hoc officio est instar au-
rificis, qui statera aut lapide Lydio aurum à cupro aut
alijs metallis dijudicare potest. Vel instar periti men-
sarij, qui nummum quem non agnosco, bonum esse
ac legitimum docet.

3. Ut

3. Ut sit præco Dei, hoc est, ut Scripturas divinas divulget, prædicet, propaget. Quo in officio est similis præconi seu caduceatori regio, qui alta voce decreta atq; edicta regis pronunciat.

4. Ut sit interpretes Scripturarum.

Respectu hominum fines Ecclesiæ sunt:

1. Ut sit tanquam mater fidelium, qui illius operâ & ministerio nõ modò alantur quâdiu infantes sunt ac pueri, sed curâ etiam maternâ regâtur, donec adolescant, ac tandem perveniant ad fidei metam. Sic Paulus, Gal. 4. 26. novæ & cœlestis Hierosolymæ nos esse filios docet.

2. Ut nos in Dei societate contineat.

V I. Ecclesiæ Distributio.

Ecclesia est vel *Catholica*, vel *Particularis*.

V I I. Definitio Ecclesiæ Catholicæ.

Ecclesia Catholica, est cœtus electorum ad vitam æternam, qui vocatione cœlesti communionis cum Christo participes sunt facti. Dicitur *Catholica*,

1. *Ratione locorum*, quia Deus electos suos ubiq; habet, non in uno tantum populo, sed in omnibus per totum orbem. Act. 10. 34 35.

2. *Ratione temporum*, quia a mundo condito omnibus temporibus fuit, est, & erit: juxta Christi promissionem Matt. 28. 20. *Ero vobiscum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.*

I I X. *Materia Ecclesiæ Catholicæ*, sunt electi ad vitam æternam: Ex his enim illa colligitur.

Confirmant id, tum clara Scripturæ testimonia:
tum

U

tum alia argumenta ex Scriptura petita. Sic enim in Apocalypsi dicitur cap. 21. ver. 27. *In novam Hierusalem & sponsam Agni descendentem e caelo non intraturum quicquam, quod inquinat, aut abominandum quidpiam patrat, vel mendacium loquitur: sed qui scripti sunt in libro vite Agni.* Hebr. 12. 22. 23. *Accessistis ad montem Zion, & civitatem Dei vivi, Hierusalem caelestem & myriades Angelorum, conventum universalem (αγοσε-ληλύθατε πανηγύρει) & Ecclesiam primogenitorum qui conscripti sunt in caelis, & iudicem universorum Deum, & spiritus iustorum consummatorum.*

Argumenta alia ex Scripturis petita sunt:

1. Quia corpus, cuius caput est Christus, est Ecclesia catholica.

At soli electi sunt corpus, cuius caput est Christus.

Soli igitur electi sunt Ecclesia catholica.

2. Quia domus, cuius fundamentum est Christus, est Ecclesia Catholica.

At soli electi sunt domus seu vivi lapides domus illius, cuius fundamentum est Christus. Ergo, &c.

3. Quia sponsa Christi est Ecclesia Catholica.

At coetus tantum electorum ad vitam eternam est Sponsa Christi. Ergo, &c.

4. Quia sublimis illa Hierusalem libera mater omnium nostrum, Gal. 4. est Ecclesia Catholica. At coetus tantum electorum ad vitam aeternam & renatorum per Spiritum Sanctum, est sublimis illa Hierusalem libera, mater omnium nostrum. Ergo, &c.

5. Quia corpus Christi incrementum capiens ex eo per charitatem Eph. 4. 16. cui salutem dat caput, Eph. 5. 23. est Ecclesia Catholica. At tantum Coetus electorum est corpus Christi, incrementum capiens ex eo per charitatem, et cui salutem dat caput. Ergo, &c.

6. Quia Ecclesia quam Christus dilexit, & semetipsum

B

expo-

exposuit pro ea: ut eam sanctificaret & sisteret eam sibi gloriosam, ut esset Sancta & inculpata. Eph. 5. 25. 26. 27. est Ecclesia Catholica. At soli electi sunt illa Ecclesia quam Christus dilexit, &c. Ergo.

Iure Canon. de consecr. dist. 2. cap. 63. Hunc cibum & potum, societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum: quod est Ecclesia in predestinatis.

*D. Luth. in maiore Catechesi in explicatione Symboli, Formul. Concord. in folio, editionis Dresden-
sis, Anno. 1580. fol. 206.*

*Ich glaube/das da sey ein heiliges heufflein vnd
Gemeine auff erdē/eiteler heiligē vntereinem Haupte
Christo/durch den Heiligen Geist zusammen beruf-
fen/in einem glauben/sinne vnd verstand/ze.*

IX. Forma Ecclesiae Catholicae.

Forma Ecclesiae Catholicae est, quod vocatione caelesti communionis cum Christo tanquam unico Ecclesiae Catholicae capite, particeps est facta. Rom. 8. 30. Quos predestinavit, hos & vocavit. Act. 2. 47. Dominus quotidie addebat Ecclesiae qui salvi fierent. Hinc appellantur membra Ecclesiae Catholicae, fratres sancti, vocationis caelestis participes. Hebr. 3. 1. Vocati Sancti. Rom. 1. 7. 1. Cor. 1. 2.

Πορίσματα. 1. Omnes igitur qui membra sunt Ecclesiae Catholicae, sunt electi ad vitam aeternam: sed non omnes electi, ad vitam aeternam sunt membra Ecclesiae Catholicae, videlicet antequam vocentur & fiant Ecclesiae membra.

2. Electorum alij citius, alij tardiùs vocantur: ut Dominus testatur Ioh. 10. 16. Alias oves habeo quae non sunt ex ovili hoc: illas quoque oportet me adducere: & vocem meam audient fietque unum ovile, & unus pastor. Idem ostendit parabola de operarijs in vineam vocatis, Matt. 20.

3. Om-

3. Omnes salvandos oportet vocari & inseri Eccle-
siæ catholicæ per fidem.

4. Extra Ecclesiam non est salus.

X. Ecclesiæ Catholicæ Distributio.

Ecclesia Catholica vel *Militans* est, vel *Triumphans*.

XI. De Ecclesia Militante.

Ecclesia militans, est quæ in hoc mundo adversus
Diabolum, mundum, & carnem sub vexillo Chri-
sti pugnat.

Eius varius est status: interdum enim *frequentior*
est, ut tempore Apostolorum: interdum *rarior*, ut E-
liæ temporibus.

Cæterum Ecclesiam Catholicam, hoc est, cœtum
aliquem electorum qui futuri sunt hæredes æternæ
salutis, semper esse in his terris, etiam in tantis confu-
sionibus opinionum, & ruinis regnorum, firmiter
credendum est. Ecclesia catholica ab origine mundi
semper fuit, sub ipso etiam Antichristi regno, sicut de-
inceps quoq; futuram esse, non dubitemus, quantæ-
cunq; erunt calamitates extremi temporis.

XII. De Ecclesia triumphante.

Ecclesia triumphans, est quæ & nunc in cœlo cum
Christo & beatis Angelis triumphat, & post resurre-
ctionem plenum triumphum aget.

XIII. Ecclesiæ particularis de- finitio.

Ecclesia ^{particularis} triumphans, est visibilis cœtus hominum in
quo vis loco amplectentium & profitentium purum
verbum Dei, & recte utentium sacramentis divinitus
institutis, & obedientiam præstantium verbo Dei.

B 2 XIV. Mem=

XIV. Membra Ecclesiæ particularis.

Membra Ecclesiæ particularis quædam sunt *viva*, quædam *mortua*. Testatur id parabola de tritico & zizanijs: item de fagena concludente bonos & putridos pisces Matt. 13. vers. 24. 47.

Viva membra, sunt pij habentes vivam fidem & conversionem ad Deum, in quibus Filius Dei verè est efficax, eosq; iustificat, & per verbum ac Spiritum Sanctum regenerat ad vitam æternam.

Mortua membra, sunt impij carentes viva fide & resipiscentia, licet foris consentiant in doctrina & ritibus externis. De his dicitur.

Non omnes sancti, qui calcant limina templi.

Suntq; vel *manifeste impij*, vel *hypocritæ*.

Manifeste impij, sunt qui vitam suam non instituunt secundum verbum Dei, sed palam sunt flagitiosi, & infidelitatem suam operibus quæ faciunt, testatam reddunt coram quibusvis.

Hypocritæ, sunt qui foris coram hominibus pietatem simulant, intus autem in corde repleti sunt impietate, irâ, odio, invidentiâ, libidinibus, & cum possunt, peccant contra conscientiam sive occultè, sive coram iis qui peccantibus assentiuntur, aut quorum ipsi hypocritæ respectum & rationem nullam habent.

XV. Quæstio: An Romana Papistica Ecclesia sit vera Christi Ecclesia?

Romana-Papistica Ecclesia non est vera Christi Ecclesia.

1. Quia nõ amplectitur & profitetur unicum & incorruptum verbum Dei, Propheticis & Apostolicis scriptis comprehensum.

2. Quia

2. Quia non habet legitimum usum Sacramentorum à Christo institutorum.

3. Quia non obedit verbo Dei in Prophetis & Apostolicis libris tradito.

His objiciuntur ab Eccio tum dicta Scripturæ: tum alia argumenta, licet confuse, ut *solet heresis confusa esse & à veris Dodos.*

Dicta Scripturæ hæc sunt: Eph. 1. 22. 23. & 4. ver. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Cantic. 6. 6. & 4. 12. Ephes. 5. ver. 22. 23. 24. 25. 26. 27. Apoc. 21. ver. 2. Rom. 12. 5. Matt. 20. 1. & 22. 2. & 25. 1.

Argumenta Eccij alia sunt hæc.

1. Quia Ecclesia est una, sicut una fuit arca Noë. 1. Pet. 3. quæ fuit figura unius Ecclesiæ.

2. Quia Ecclesia Romana Papistica sit eadem cum Ecclesia Apostolorum.

3. Quia ante Lutherum natum erat Ecclesia, quæ credidit Missam sacrificium, septem Sacramenta, &c.

4. Quia Ecclesia à Christo sponso non relinquitur in captivitate errorum.

In applicandis his ad suum institutum Eccius ita confuse agit, ut manifestum sit vel certam thesin, quæ confirmaret aut refutaret ipsum sibi non proposuisse, sed andatarum more pugnasse: vel certè thesin occultasse, ut tanquam Sophista, non animadvertentes quid agatur, naso circumduceret, celebrandis Ecclesiæ laudibus, quæ tam pertinent ad Romanam Papisticam Ecclesiam, quàm jus possidendi tot terras ex fictitia donatione Constantini Magni.

Sed de dictis & argumentis his in ipsa disputatione, cum objicientur, commodiùs agetur.

Præterea Eccius in tractatione primæ propositionis pluribus peccat.

1. Dum Ecclesiam Israëliticam captivam in Babylone

B 3

lone

VII

- ione minús dilectam Deo fuisse asseverat. At verò
 num Bonifacius III. Bonifacius IX. Sylvester II.
 Alexander III. Alexander VI. & cæteri malæ me-
 moriæ Romani Pontifices chariores fuerunt Deo,
 quàm Ezechiel, Daniel, & alij sancti Prophetæ & pij,
 qui in Babylonia detenti Deo placuerunt?
2. Dum asserit Ecclesiam Israeliticam in captivita-
 te Babylonica fuisse á Deo relictam. Quod intelligit
 de ejus desertione spiritali: alioquin nihil facerent
 hæc verba ad ipsius scopum.
 3. Dum præsupponit, nos docere plures esse Eccle-
 sias catholicas, quàm unam: *item* Christum esse bi-
 gamum.
 4. Dum injuriosè traducit Ecclesiam ex verbo Dei
 reformatam, appellans eam Ecclesiam malignatium.
 5. Dum confundit Ecclesiam Catholicam cū par-
 ticulari, permiscendo dicta Scripturæ, quorum alia
 tantum de Ecclesia Catholica, alia tantum de parti-
 culari erant intelligenda.
 6. Dum frustra negat in Romana Papistica Ecclesia
 errores & falsitatem tot annos regnasse.
 7. Dum splendidè mentitur, credere Lutheranos,
 neminem conductum á mille annis ad colendam Dei
 vineam, nisi Lutherum.
 8. Dum contumeliosè servum Christi Lutherum
 vocat *idolum*.

XVI. Quæstio: An Ecclesia errare possit?

De hac quæstione aliter *nos*, aliter *Eccius* statuit.
Nostri sententia hæc est.

1. Ecclesia vera non errat, quando audit & sequitur
 vocem Pastoris & Spõsi sui Christi: errat autem, cū
 sequitur vocem alieni.

2. Non

VIII
2. Non errat tota: licet aliqua ejus membra interdum errant, cum a Verbo Christi discedunt. Semper enim lux veritatis in aliquorum mentibus conservatur, qui veram doctrinam defendunt adversus hæreticos, & ad posteros propagant. unde Ecclesia nominatur columna & stabilimentum veritatis.

3. Non errat universaliter, hoc est, in omnibus doctrinæ partibus, licet sæpe in aliquibus erret.

4. Non errat in fundamento: a quo si aberraret, non esset vera Ecclesia: quia non esset extructa super lapidem angularem Christum. Semper ergo fundamentum retinet, tametsi non raro stipulas & fœnum ei superstruat. I. Cor. 3.

5. Non errant electi finaliter. Nam si qui errarunt aliquando, suo tempore ab erroribus revocantur.

Eccius verò simpliciter & absolute pronunciat: *Ecclesia non errat*: perinde ac si Ecclesia adhuc in terris a spõso peregrinans, omnibus numeris perfectam felicitatem, atq; errorum & peccatorum immunitatem adepta esset.

Sententiam suam confirmat primò duobus argumentis.

1. *Quia Ecclesia semper habet sponsum Christum.*

Atqui non semper audit & loquitur verba sponsi: ut Ecclesia Galatarum & Corinthiaca.

2. *Quia regitur magisterio Spiritus Sancti, ipsam nunquam deserentis.*

At Spiritus Sanctus non æquali semper tenore eam regit. Sed aliàs maiorem, aliàs minorem efficaciam in ea exerit, eiq; distribuit dona ut vult.

Deinde sequentibus locis Scripturæ, Ioh. 14. 16. & 17. II. 20. I. Tim. 3. 15. Ioh. 16. 12. 13. I. Ioh. 2. 27. Matt. 28. 20.

Insuper quædam falsa & injuriosa miscet more suo: nempe,

B 4 . I. Fin.

1. Fingit post Euangelium promissam esse aliam quoq; doctrinam magisterio Spiritus Sãcti in Ecclesia tradendam.
2. Mentitur docere Lutheranos, quòd mille annis Ecclesia errãrit. Docent enim illi, semper fuisse quosdam à Deo excitatos, qui veram doctrinam adversus Romanenses defenderint, licet ab his tanquam hæretici fuerint injuste damnati & combusti.
3. Injurius est in Lutheranos, quos ait insanire, dum dicunt Ecclesiam Romano-Papisticam errasse multos annos.
4. Accipimus autem quod dat, Ecclesiam esse colũnam veritatis, & non errare, cum sequitur ductorem Christum & Spiritum Sanctum Magistrum.

XVII. Quæstio: An consensus in omnibus sit nota veræ Ecclesiæ?

Responsio nostra.

1. Consensus in fundamento, hoc est, professio sinceræ & incorruptæ doctrinæ fundamenti, est nota veræ Ecclesiæ.
2. Fieri autem nõ potest, ut semper omnes qui sunt in Ecclesia, consentiant. Primò, quia oportet esse hæreses, ut qui probati sunt, manifesti fiant. 1. Cor. 15. Deinde, quia non omnes qui sunt in Ecclesia, sunt de Ecclesia. 1. Joh. 2. 19. *E' nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum: sed egressi sunt ex nobis, ut patet fieret non omnes esse ex nobis.*
3. Interim omnes studere unitati & consensui debemus, juxta exhortationes Christi & Pauli.
4. At nihilominus manet vera Ecclesia, etiamsi aliqui dissentiant: sicut Ecclesia Corinthiaca, in qua non levia erant dissidia, vera tamen esse à Paulo judicabatur: &

IX
tur: & ab eo appellabatur *Ecclesia Dei*, & ipsi Corinthij *sanctificati in Christo Iesu, vocati sancti*. I. Cor. I. 2. 5. Verum consensus omnino in omnibus & inter omnes non est nota verae Ecclesiae: quia huiusmodi consensus non est huius vitae, sed futurae, in qua demum erit perfectio.

6. Si consensus in omnibus & inter omnes, esset nota verae Ecclesiae: tum Romano-Papistica Ecclesia vera nequaquam esset. Nam in nulla sunt plura dissidia quam in illa: ut quae & a Christo, & in sese dissideat.

Eccij propositio minimè Catholica, haec est.

Sicut Ecclesia est una, ita unitas est in Ecclesia.

Eam probat ex locis sequentibus: I. Cor. I. 10. Rom. 15. 4. 5. 6. Rom. 12. 16. Philippens. 2. 1. 2. Jerem. 2. 13.

Verum, ut solet Eccius, passim confectaria & testimonia falsa miscet.

1. Reformatas Ecclesias negat esse veras Christi Ecclesias; quia docentes in ijs dissideant. Atqui nec omnis consensus Ecclesiam veram, nec omnis dissensio Ecclesiam adulterinam esse probat.

2. Lutherum falso arguit Schismatis: nisi velit Schisma esse separationem a Synagoga Antichristi. Tum enim ingenuè fatebimur, fecisse Lutherum eiusmodi Schisma.

3. Falso καθόλου esse asserit, quod consentientibus potius vera Scripturae intelligentia inspiratur, quam uni aut alteri privato. Quid enim, si consentiant Hannas & Caiphas, Iohannes & Alexander, & quotquot ex genere Pontificio: num ipsis potius vera Scripturae intelligentia inspirata est, quam Petro & Iohanni? Act. 4. 6.

4. Promulgat Papale principium: *Quod Sancta mater Ecclesia definit vel acceptat, id non est minori firmitate credendum ac veneratione tenendum, quam si in divinis literis esset expressum.* Sed quid si illud pugnet

B 5 cum

cum Patris cœlestis voluntate in divinis literis pate-
facta; aut ea evertat, quæ ex Scripturis bona conse-
quentiâ sunt extracta?

5. Sophisticè tribuit particulari Ecclesiæ, quod est
Catholicæ. Ecclesiæ enim Catholicæ totum corpus
Spiritu Dei sanctificatur & regitur: at non particula-
ris, in qua multi sunt non Sancti & hypocritæ.

6. Calumnia est, quod dicit reformatas Ecclesias
reliquisse verum & vivum fontem Ecclesiæ, & fodere
cisternas dissipatas hæreticorum.

7. Iniuste pronunciat hæreticos VVikleffum, Hus-
sum, Albigenses.

8. Calumnia rursus est, quod fingit nos docere, per
Lutherum solum lucem veritatis aperienda fuisse.

9. Calumniam amplificat sarcasmo Diabolico: Si,
inquit, per Lutherum solum lux Veritatis aperienda
erat, cur Deus non unum misit Lutherum pro om-
nibus? Frustra Deus misit Filium, frustra Spiritum
Sanctum, frustra Apostolos, martyres, doctores, con-
fessores. Atqui antecedens est falsum, & planè Eccia-
num: quid mirum igitur, si sarcasmm hunc inde ex-
truxit, id est, ex cerebri sui phantasmate, quod voluit,
effinxit?

XIIX. Dicta quædam Patrum de Ecclesia.

Hierony. in Psal. 133. Ecclesia non in parietibus cõ-
sistit, sed in dogmatum veritate; Ecclesia ibi est, ubi fie-
des vera est.

Ambros. in Luc. lib 6. cap. 9. Si qua est Ecclesia, quæ
fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis funda-
menta possideat, deserenda est.

Nazianz cõtra Arrian. Vbi modò sunt, qui de mul-
titudine definiunt Ecclesiam, & gregem pu-
spernantur?

August. in Psal. 90. in 2. parte: Corpus huius capitis
Ecclesia est, non quæ hoc loco est, sed quæ hoc loco &
per totum orbem terrarum: nec illa, quæ hoc tempo-
re, sed ab ipso Abel usq; ad eos qui nascituri sunt usq;
in finem, & credituri in Christum, totus populus fan-
ctorum, ad unam civitatem pertinentium.

Thomas Aquinas in exposit. Symb. Apost. Sicut
videmus, quod in uno homine est una anima & unū
corpus, & tamen sunt diversa membra ipsius: ita Ec-
clesia Catholica est unum corpus, & habet di-
versa membra, anima autem quæ hoc
corpus vivificat, est Spiritus
Sanctus.

Μόνω τῷ Θεῷ λόγος.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Umg. VI 45


ULB Halle 3
002 379 767



s. b.

WDA





DE ECCLESIA CAPITA

QVAEDAM,
IVSSV DECANI FACULTATIS Theologicæ in inclyta Basiliensi Academia,

AB
AMANDO POLANO A Polansdorf, S. Theologiae D. ad disputandum proposita:

De quibus in publica συζητήσει, Christo adspirante, die 5. Octobris respondebit

ELIAS MURBACHIVS
Scaphusianus F.



BASILEAE, typis Ostenianis.
Anno MDLXXII.

